



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXX. Exhortatio cum ad ecclesiasticos, tum ad saeculares.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Si quis monialem vitiauerit, aut in stupro viduæ vim intulerit, grauissime apud Deum atque homines compensato.

XXIX.

Scrutari oportet diligentius vnumquemque modis omnibus, quoniam pacto illud ante omnia efferatur consilium quod populo habeatur vtilissimum, & vt recta Christi religio maxime prouehatur, iniustumque quodlibet funditus extirpetur. Hæc enim in rem fuerint totius patriæ, vt iniustitia conculcetur, & iustitia coram Deo & hominibus diligatur.

XXX.

Ad ecclesiasticos pro castitate & orationibus.

Ad seculares, vt resipiscant.

Deum, fidem, verbum, colant.

Nunc autem ministros Dei sollicitè monebimus, vt sui cautius reminiscens, & cælesti fulti adiutorio, castitatem colant, libris & orationibus sedulo indulgeant, noctesque diesque Christum inuocent frequentius, & pro omni populo Christiano vehementius intercedant. Sed & iterum atque iterum amicos obtestamur vehementius, (quod & nobismetipsis maxime interea necessarium est crebro facere) vt a peccato quisque cogitet sedulus resipiscere, & qua poterit, aliorum cohibere iniquitates. Illud denuo reminisci, quod hominibus maxime necessarium est frequentissime reminiscendum; hoc est, vt sinceram fidem vnanimiter habeant in Deum verum qui omnes fecit & gubernat creaturas: vt rectam fidem Christianam rectè teneant: doctores verbi Dei diligenter audiant, doctrinamque & præcepta sua studiose insequan-

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
1009.

tur : vt in ecclesia Dei pacem tueantur & tranquillitatem, oblationibus eam salutantes & luminibus, ibidemque Christo preces anxius effundentes : vt annuatim Deo debita recte pendant, & festa & ieiunia recte etiam obseruent : vt in die solis omnem mercaturam conuentusque populares fugiant studiosè : vt Dei ministros semper tueantur & honorent : vt Dei pauperes foueant & pascant : vt viduam aut orphanum non laceffant, diligentius autem consolentur : vt peregrinos atque aduenas neque vexent, neque grauamine afficiant : vt iniuriam aliis non inferant de industria, sed hoc alteri vnusquisque faciat quod sibi fieri voluerit, prout iustum est. Hæc quidem lex æquissima.

Deo debita pendant.

Diem solis sanctificent.

Ministros Dei honorent. Pauperes pascant. Viduam, &c. non laceffant. Nec peregrinum. Alteri non faciât quod sibi fieri nolunt.

XXXI.

Curæ etiam vnicuique sit in posterum ne diuinam legem violet aut humanã. Qui vero in hoc deliquerit, illic compensato studiosius vbi contigerit deliquisse; tam secundum emendationem ecclesiasticam, quam secundum leges sæculares. Multæ & animaduersiones ex delictis prouenientes aduersus Deum patratis, (etiãsi a sæculari magistratu impositæ) iuxta episcoporum constitutionem, omnino pertinent ad orationes comparandas, pauperumque commodum promouendum, ad ecclesiarum instaurationem, & ad populum Dei erudendum, vestiendum, & pascendum, ad libros, campanas, & vestimenta ecclesiæ suppeditandum; nunquam vero ad mundanas exequendum vanitates, sed in pios vsus, & ad virorum sæcularium institutionem, erogandæ. Quidquid scilicet peruenerit

Ad ecclesiam pertinent quæ in causa ecclesiæ etiam a laicis imponuntur.

Et cuiuscumque sint generis.

Concil. Tom. 25.

Ii ij